



Drentia Comitatus Transiselaniae Tabula II

<https://hdl.handle.net/1874/348676>



11 - 25

Divisio & Regimen. In Drentinis vero res etiam nunc sic habet: Dividitur provincia tota in partes seu praefecturas sex: *Ding spil Suyderelt* nimirum, *Beyler Ding spil*, *Diverder Ding spil*, *Rolder Ding spil*, *Ding spil Nordevelt*, & *Ding spil Oostermoer*. Earum partium unaquæque quaternos habet iudices promiscue ex nobilitate & plebe rustica suffragiis lectos quotannis, quos sua lingua *Ettas* dicunt. Quorum officium est non solum suis in partibus per singulas septimanas jus reddere, & controversias litigantium finire, sed etiam ter quotannis simul omnes convenire, ad cognoscendas causas graviores, aut eas, de quibus ad supremum tribunal est provocatum. Moribus vero receptum est, ut *Rolda* conveniant octavo post *Pascha* die, & rursus eodem post *Pentecosten* intervallo: postremo *Andloa* ad *XIV* Calend. Septemb. Ultra id tribunal, quod aperto loco habetur circumstante multitudine, praeside vero totius provinciae praefecto, tendere litigantibus non licet. Praeter hos autem singulis in vicis iudex unus est, quem *Scultesium* vocant, & in his, qui auctoritate antecedit in sua praefectura, eum praecipuo quoque titulo *Barmer scultesium* nuncupant. Omnes suis in vicis operam plebi dant minoribus controversiis dijudicandis, & ad pignora quoque auferenda progrediuntur. Iurisdictio in universum talis, ut compendio lites finiat, haud parvo commo-
populi. Sed exemptæ huic foro sunt, *Coverdia*, & *Runa*. hæc nobilibus parens; illa praefectum provinciae totius, cui arx oppidana domi-

cilium præbet, iudicem superiorem agnoscens.

WESTERWOLDIA, Reideriorum quondam pars inter sinum & *Amasum* incolentium, solo, nisi quantum sinui *Dullarto* proximum est, fere exili paludosoque: in quos imperium legitimum habuit aliquot sæculis *Addingia* familia nobilis, *Weddæ* arcis vetustæ eodem in agro domina, *Westewaldico* cognomine posteris quam gentili notior: nunc ad *Arenbergios* omnia translata: postremo suburbanum territorium regionis totius limitem ad austrum longo tractu contra *Drentiam* tuens, vicis ambitu suo continens *XII*, cœnobias duo, ambiguo inter *Drentiam* ac *Frisiam* nunc expositam jure, quibus se debere hinc atque inde decerptis quibusdam partibus coagmentatisque videtur: lingua tamen, legibus, institutis per multa nunc sæcula illam magis quam hanc referens. Antiquissimi ejus rectores *Gronenbergii* feruntur; ab his ad *Selwerdios*: à *Selwerdiis* vicissim ad *Ultrajectinos*, *Geldros*, *Burgundos* ordine pervenit: *Burgundi* postremo Senatui populoque *Groningano*, nihil imminuto veteri vicinorum jure ac libertate, attribuerunt. Atque hujus in solo, ubi arenis gleba pinguior jungitur, editiore in dorso inter camporum humilia linguæ instar se porrigente, sedem habet *GRONINGA*, non maxima solum inter urbes, quas *Frisia* amplectitur, sed nomine etiam & potentia, & rebus gestis, & specie quoque ipsa antecellens: de qua in illius agro jamjam latius agemus.

Westewaldia Dominium.



53
D R E N T I Æ
C O M I T A T V S,
E T
W E S T E R W O L D I Æ
D O M I N I V M.



Fines.

Drentia *Frisiam* occidentuam ab oriente *Hyberno* excipit, *Groninganos* à *Meridie*; regio occidentuæ *Frisiæ* magnitudine pene par, sed opibus & cultu multo inferior. Ab austro *Zallandiæ* partem & reliquæ *Transisalanæ* cum *Twentia* habet. Ab ortu *brumali Benthemenfi* provincia, ab æquinoctiali *dicecesi Monasteriensi* clauditur.

Qualitas.

Ager autem *Drentiæ* omnis arenosus aut palustris, frumento, nisi qua uligines aut ericeta, felix, ideoque horrei vicem vicinis, præsertim *Groninganis*, præbens; pascuis non æque commodus. *Ericeta* vero *Smilder-veenen*, & *Echter-veenen*, vulgo dicta, (quorum illud *Groningam* inter & *Steen-vicum*, hoc autem inter *Coevardiam* & *Meppelam*,) tantam cespitum ustibilium suppeditant copiam, ut eos incolæ, non sine magno ipsorum emolumento, in *Hollandiam* & vicinos districtus maxima transvehant abundantia.

Covordia.

Ad australem limitem, haud procul *Vidro* flumine, oppidulum habet *Covordiam*, caput provinciae. Municipium uti opere munitissimum, ita situ est opportunissimo; distat *Groninga* milliaribus septem, *Steenwico* sex, *Swolla* quinque, *Daventria* novem, *Oldensalia* quinque, & *Lingen* totidem. Arx illi est validissima. Maximi autem est momenti, quum hostilem aditum in *Frisiam* utramque veluti occludat: habet enim ad aquilonem paludosos & alta uligine impervios campos *Weddam* usque; ad occasum vero stagnum, quod ultra *Hassletum* pertingit; ad septentrionem pagum *Daelhem* & *ericetum Groningam* petens; ad ortum *Lingensem Comitatum*; ad meridiem *Benthemiensem*; ad austrum denique *Hardenbergam* oppidum ad eundem *Vidrum* situm; unde per paludes universam pene regionem obsidentes, nisi qua *Groninga* aditur, angustæ viæ sunt, traducendis exercitibus incommodæ: quare & commercii admittendis valde opportunum est, & bello arcendo ab interioribus provinciis peridoneum.

Belgica.

Fortalitiu Valter-Schans vulgo dictum, non procul à *Westewoldiæ* dominio, adeo probe munitum est, ut quamlibet vim arcere possit; inter quod & *Coevardiam*, sed propius ad hanc, aliud est, sed minus, *propugnaculum*, vulgo *Schans ten Hole* nuncupatum.

Propugnacula.

Reliqua vici occupant, quorum quidam nec parvi sunt, nec inelegantes: qualis est *Meppela*, in austrino limite in occasum vergente, oppido quam vico similior; *Runa* in ditione *Nobilium Munsterorum*, dignitatis titulo supra communis nobilitatis gradum illustris. *Eelda* etiam *Groningæ* vicina, aliquot olim nobilium sedes. Et ante *Eeldam*, *Rolda*, *Devera*, *Andloa*. Cœnobias monastica *Affena*, *Diclinga*, *Schoonebeeck*, & alia. Paruit multis sæculis *Episcopo Ultrajectino*, Imperatoris donatione, aut vi armorum nixo, à quo praefectum solet accipere. Nec vero à repub. tantum *Frisiorum* communi, parendo *Episcopis*, sed & à lingua, habitu, moribus ac plerisque institutis jamdudum tota recessit, nomenque gentis pene cum rebus amisit. Quanquam vestigia adhuc supersint haud obfusa originis ac cognationis pristinae; ut sunt libertas major plebis rusticae in hac, quam in regionibus aliis, onerumque summa immunitas; iudiciorum quoque ratio *Frisicum* morem redolens; venationum & aucupiorum, quibus tota scateret, jus integrum & liberum cuiuslibet, qui modo res soli illic possidet; aliaque familia.

Vici.

Dominii qui olim.

Populi in-ades.

Venatio.

Memorandum.

Commemoratione dignum videtur, notatum quoque ab aliis, quod in regione hac ingentis molis saxa complura, quæ nulla vectatione, nulla vi hominum illuc deportari potuissent ob magnitudinem credas, congesta inveniuntur: quorum ea dispositio est, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis aliis imposta sunt plana, relictumque foramen angustum, per quod reptare homo possit. Fabula fert, paganos, quondam humanis hostiis litare solitos, ea per foramina maectandos homines transire coegisse, & stercore, aliisque immunditiis conjectu vulgi foedatos in transitu, constitutosque ad aras immolasse: eum ritum ad *Bonifacii Episcopi Ultrajectini* tempora durasse. Quam ob causam etiam nunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas restare putatur.

FFF

II